Eſto, quod ſæpiſſimè haſitaverint, atq Veſtræ, Auditores Venerandi, expectationi haud fecerint ſatis: quum nondum omnes diſerti ſint oris, neq et prio eorundem linguam inter perorandum quinta ſui nectaris parte imbuere voluerit: nec tamen conamina hæc improbanda ſunt: quin potius laus aliqua iisdem debetur:

Ut deſint vires: tamen eſt laudanda voluntas.

Laudandi omninò ſunt: qui res præclaras ſuſcipiunt: etiamſi ex aſſe propoſito ſuo reſpondere nequeant. Ἀρκεῖ δὲ, non ineptè politiſſimus Vir Angelus Politianus inquit, ἐν μεγάλοις καὶ τὸ θέλημα μόνον. Quo ſuaviſſimo omniq auro contrà chariore dicto ſubinnuit, eos nihilominus ſuam mereri laudem, qui actum pulcerrimam tentent: quanquam eorundem auſus magnitudini rei ſuſceptæ haud quicquam reſpondeat. Tentandum enim eſt vadum prius, quàm majora tententur, majora parentur. Sufficiat ergo hodiernus conatus: quum ipſi hi Declamatores, quos, Venerandi Auditores, pro æquanimitate veſtra benevolis auribus audiviſtis, vadum tentarint eloquentiæ, onere Ætna graviore humeris ipſorum impoſito. Voluerunt ipſi in refellendo falſi et aſtruendo veri timoris ſtudio debitis modis vireculas periclitari ſuas. Voluére et ipſi apto ac congruo ſtylo omnia exprimere, quæ explicanda erant: etſi non potuerint reſpondere utrobiq voluntati ſuæ, votoq et expectationi. Sufficiat, inquam, heic voluntas: etiamſi adhuc deſideratur facultas. Non una vice frangitur glacies: ſed improbus demum labor eſt, qui omnia vincat. Cum DEO et die ſcilicet ſi indefeſſus acceſſerit labor, difficillima quæq ſuperantur: vel planè juxtà illud Tibulli:

Longa dies homini docuit parere Leones:
Longa dies molli ſaxa peredit aqua.
Annus in apricis maturat collibus uvas:
Annus agit certâ lucida ſigna vice.

Indeq et fore mihi polliceor: ut vel ipſi hi commilitones mei, dum

Secum habitant, et norunt, quam ſit curta ſupellex,

meliora aliquando, ſi dulciſſimum Suadæ nectar paullò uberius guſtaverint, ac majora ſpecimina ſtyli in oratoria palæſtra exhibeant. Licet ibiq declamationes eorundem impræſentiarum ſummi illius ac omnium oratorum principis Ciceronis genium haud ſapuerint, nuda tamen ac ſimplici